



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

Benedictio vini in festo S. Joannis Evangelistæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023

Dein aspergat aqua benedicta.

Benedictio Vini in festo S. Joannis Evangelistæ.

✠. Adjutorium nostrum &c. *R.* Qui fecit cœlum & terram.
✠. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui te vitem veram, & Apostolos tuos palmites appellari, deq; omnibus te diligentibus vineam electam plantare voluisti, bene **†** dic hoc vinum, eiq; virtutem tuæ bene **†** dictionis infunde, ut quicumque ob honorem & memoriam dilectissimi discipuli tui Joannis, cujus hodiernâ festivitate lætamur, ex eo sumpserint, vel biberint, morbis & venenis pestiferis effugatis optatam sanitatem, atque salutem corporis & animæ consequantur. Qui vivis &c.

Oremus.

Deus qui humano generi panem in cibum, & vinum in potum procreasti, ut panis corpus confortaret, & vinum cor hominis lætificaret: quique beato Joanni discipulo tuo tantam gratiam contulisti, ut non solum ab haustu veneni illæsus evaderet, sed etiam in tua virtute veneno prostratos à morte resuscitaret, præsta omnibus hoc vinum bibentibus, ut spiritualem cordis lætitiâ, & vitam æternam consequi mereantur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa **†** tris & Fi **†** lii, & Spiritus **†** sancti, descendat super hanc creaturam vini, ut sit omnibus ex ea fumentibus remedium contra periculum corporis & animæ, & præguſtatio ad vitam æternam. *R.* Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

Benedictiones peregrinorum ante & post reditum, sicut & olei simplicis: & illas, quæ Episcopos tantum concernunt, studio omisimus. Quodsi potestatem quis habeat eas usurpandi, in Missali vel rituali Romano requirat.

DE EXORCIZANDIS OBSESSIS A DÆMONIO.

Sacerdos, seu quisvis alius legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, eâ, quâ par est pietate, prudentiâ, & vitæ integritate præditus sit: qui non suâ, sed divinâ fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter & humiliter exequatur. Hunc præter eâ maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiâ morum gravitate reverendum.

Ut igitur suo munere rectè fungatur, cum alia multa sibi utilia documenta, quæ brevitate gratia hoc loco præmittuntur, ex probatis authoribus & ex usu nosse studeat; tum hæc pauca magis necessaria diligentè observabit.

In primis, ne facilè credat, aliquem à dæmonio obsessum esse; sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui, vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia & occulta patefacere; vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere; & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora sunt indicia.

Hæc autem ut magis cognoscat, post unum aut alterum exorcismum interroget ob-